

REGVLAE
OMNES, ORDINATIONES, ET
Constitutiones Cancellariæ. S. D. N.
Pauli Papæ III. in hunc vsq; diem
promulgatæ. Insertis desuper
nonnullis regulis, in
aliis quidem
recentissime excussis, cum silentio prætermisissis.



Romæ apud Antonium Bladum.
M. D. XLII.

TABVLA REGVLARVM
CANCELLARIAE S. D.

N. Pauli diuina Prouidentia
Papæ III.

- R**eservationes generales, & speciales, & primo Constitutionum ad regimen, & executionabilis. *char. 2.*
- Reseruatio ecclesiarum cathedralium, & monasteriorum valorent ducentorum florentorum excedentium. *ead.*
- Reseruatio dignitatum. *ead.*
- Reseruatio beneficiorum Collectorum, & Subcollectorum. *char. 3.*
- Reseruatio beneficiorum Curialium dum Curia transfertur. *ead.*
- Reseruatio beneficiorum Cubiculariorum, ac Curatorum. *ead.*
- Reseruatio beneficiorum S. Petri S. Iohannis Lateranensium, & S. Mariæ Maioris de Vrbe ecclesiarum, ac beneficiorum Cardinalium a Romana Curia absentium. *ead.*
- Quod literæ Clementis expediantur in forma rationi congruit, & idem seruetur quo ad concessa per Leonem, & Adrianum ad sex menses tantum. *ead.*
- Reseruatio omnium ecclesiarum, quas prædecessores sui tempore obitus reseruauerant. *char. 4.*
- Reualidatio literarum gratiæ, & iustitiæ quo ad executionem.

2

REGVLAE, ORDINATIONES,
& constitutiones Cancellariæ. S. D. N. D. Pau
li diuina prouidentia Papæ. III.



SANCTISSIMVS in Chri
sto pater & Dominus noster domi
nus Paulus diuina prouidentia Pa
pæ. III. suorum prædecessorum ve
stigijs inhaerendo normam & ordi
nem rebus gerendis dare volens in

crastino assumptionis suæ videlicet die. xiiii. mens
is Octob. anni. D. M. D. XXXIII. reservationes,
constitutiones, & regulas infra scriptas fecit, quas
etiam extunc suo tempore duraturas obseruari vol
luit, & quas nos Hippolytus Sancti Laurentii in
Damaso Diaconus Cardinalis. S. R. E. Vicecan
cellarius die Iouis quinta mensis Nouembris anni
prædicti in Cancellaria aplice publicari fecimus.

Reservationes generales, & speciales, & primo
constitutionum ad regimen, & execrabilis.

IN PRIMIS reservationes fecit similes illis,
quæ in constitutione se. re. Benedicti Papæ. viii.
quæ incipit ad regimen. continentur, & illas lo
cum habere voluit, etiam si officiales in eadem con
stitutione expressi, Apostolicæ sedis officiales ante
obitum eorum esse desierint, quoad beneficia, quæ
tempore, quo officiales erant, obtinuerant, ac reser
uauit beneficia: quæ per constitutionem piæ memo
riæ Ioannis Papæ. xxi. quæ incipit Execrabilis. va.

Cam. seu eius locum tenentem in causis ad eius iurisdictionem ordinariam, vel etiam per commissiones tam factas, quam de cetero faciendas spectant, similiter procedi, iudicari, & quaevis executio fieri posset, prout inde, ac si iidem Auditor tam Palatii sui quam Cam. Apost. locum tenentem, & alii Iudices, & commissarii praefati cum S. sua in eadem Urbe in Ro. cur. sicut ante discessum suae S. resedissent, & causas cognoscerent, & sua officia exercerent, & eandem Curiam cessari voluit, quo ad beneficia, quae tam in dicta urbe, quam in Ciuitate ad quam S. sua se contulisset, vel pertransisset, & infra duas dietas a dicta Ciuitate in qua per tempus fuisset vacauissent, ut nullus de illis praeter S. suam disponere posset. Constitutionemque seu Regulam huiusmodi a die recessus S. suae etiam ante illius publicationem ligare, irritam quoque, & c. decreuit, prout in dicta constitutione continetur, cum denuo proponat ab eadem urbe cum praefato Carolo Imperatore per nonnullis rebus Reipublicae christianae concernentibus loquendi causa discedere, siquidem eandem S. suam ab ipsa urbe ad aliquod tempus abesse oporteat, volens etiam nunc dictis officialibus aliasque desuper opportune providere, Constitutionem, seu regulam praedictam cum omnibus clausulis decretis, & verbis in ea contentis innouauit, ac omnia & singula Constitutionis seu regulae huiusmodi contenta de nouo statuit, ordinauit, decreuit, & declarauit.

Placet publicetur, & describatur. A.

Acta, & publicata fuit superscripta Regula siue constitutio Romae in Cancellaria Apost. Die vero Sabbati xxvii. mensis Augusti. 1541. Pont. S. D. N. D. Pauli diuina prouidentia Papae III. Anno Septimo.

A. Lomellinus Custos.

